

HISTORIARUM INDICARUM LIBER SEXTUS.

SINARUM regio, quam hodie Cinam vulgus appellat, ultima terrarum Asiæ, ab Oriente & a Meridie alluitur Oceano, quem Sericum vel Eoum prisca dixerunt; ab Occidente Indiam ulteriorem attingit, a Septentrione cingitur Massagetarum Scytharumque limitibus. Multo latius quondam imperasse gentem, annales ipsorum, ac litteræ, & veterum ædificiorum illustria monumenta, & complures, in India præsertim, ab iis denominatæ nationes, haud obscure testantur. Sed cum sua ipsi mole viribusque fatigarentur, (quod a Carthaginensibus in re simili factum legimus) sponte misso veluti sanguine, & castigata luxuria, intra hosce fines recepere sese; gravi proposito edicto, ne quis injussu magistratum excederet. Regna, seu provincias vastæ magnitudinis, numerant quindecim cum sua cujusque metropoli: ad mare sex, mediterranea reliqua. Tellus, quod maxima ex parte intra temperatæ plagæ terminos continetur, radiosque Solis, suapte natura vitales, puro ac patenti excipit sinu; sic fit, ut saluberrimo coelo & purioris auræ dulcedine perfruatur; ac simul inclytæ fertilitatis gleba, frugum omnis generis fundat copiam bifero triferoque proventu. Accedit ad eximiam soli foecunditatem, summa cultorum industria. Et infinita est multitudo, quippe subolescente in dies prole, & in alienas regiones migrationibus interdictis. Neque in tanta mortalium turba cessare cuiquam licet: non privato dedecore tantum, & proximi cujusque probris ac jurgiis; verum etiam publicis moribus legibusque desidia plectitur. Itaque rustici homines nullam agri partem incuria squalere patiuntur. Saltus & colles pinu vitibusque, campi & planities oryza, hordeo, frumento, cæterisque segetibus nitent. quamquam e vitibus more nostro non exprimunt merum. uvas quodam condimenti genere in hyemem adseruare mos est. cæterum ex herba quadam expressus liquor admodum salutaris, nomine Chia, calidus hauritur, ut apud Japonios: cujus maxime beneficio pituitam, gravedinem, lippitudinem nesciunt; vitamque bene longam sine ullo ferme languore traducunt. oleis alicubi carent: sed earum vice non desunt plantæ, quæ humorem unctui præbeant. Pascua sunt etiam gregibus alendis uberissima; & in hortis egregie cultis cum alia nostri orbis poma, tum sapidissimos melopepones, suavissima & optima pruna ficusque, & medica citreaque variæ formæ ac saporis, apprime generosa mala conspicias. Ad hæc, perspicui fontes, & miro colorum decore odorumque fragrantia flores ac rosæ perennant. flumina vero, quæ magnas quoque patiantur naves, piscosa & amæna, viridissimo riparum vestitu, pinguibus ar-